



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 1. Quisnam & qualis consensus requiritur ad valorem contractûs?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

nere de rebus suis, nec voluisse mori intestatus, nec in re tanti momenti ludere, & jocari faci-
ciendo actum irritorium: & ideo merito cen-
setur ex errore potius, quàm joco talem con-
ditionem adjecisse, putando esse possibilem,
& honestam, eoque fuisse animo, ut si impos-
sibilem, vel turpem esse sciret, eam non appo-
neret, aut saltem eam non exigeret, si alias di-
spositio esset nulla.

Not. In ultimis voluntatibus pro non ad-
jecta etiam habetur hæc conditio, *si non nupse-*
rit. L. 100. ff. de condit. & demonstr. Idque in fa-
vorem matrimonii, ut resp. augeatur. Sed
postea Jure Codicis hoc restrictum est ad pri-
mas nuptias, ita ut in secundis hæc conditio
vim habeat, & si contra facias, legatum amit-
tas, authent. *Cui relictum*, Cod. de indicta vi-
duit. Item hæc conditio, *si religionem non in-*
grediaris, etiam pro non adjecta habetur ex au-
thent. *de Sanct. Episcop.* cap. 37. in favorem re-
ligionis, qui est status majoris perfectionis.
Hinc si mulieri relictum sint mille aurei, *si nupse-*
rit, ei tradi debent, licet religionem ingredia-
tur.

CAPUT II.

De consensu ad valorem contractus re-
quisito.

Q. I. **Q**uam, & qualis consensus requiritur
ad valorem contractus?

Resp.

Resp. Ex communi consensus debet esse 1. Verus seu internus, & mutuus, ut patet ex ejus definitione. Hinc non sufficit fictus, & merè externus, nam consensus fictus non est verus consensus; sicut homo pictus non est verus homo. 2. Debet aliquo signo externo exprimi, alioqui consensus unius non potest cognosci ab alio, nec proinde acceptari, & vicissim: sicque non possent convenire in idem... 3. Debet esse liber, & plenè deliberatus: nam sine plena deliberatione, seu advertentia nemo censetur velle suscipere in se obligationem ex genere suo gravem. Deinde quilibet contractus etiam latè sumptus debet esse actus simpliciter humanus.

Dices. Ergo ad nihil tenetur, qui contrahit fictè, hoc est, sine animo verè contrahendi, vel se obligandi.

Resp. Is 1. Peccat contra Justitiam, & quidem mortaliter in re gravi; & reus est mendacii perniciosi: nam in quolibet contractu utrimque obligatorio lex Justitiæ præscribit, ut uterque verè contrahat, & ne alter alterum decipiat. 2. Quamvis non obligetur directè, & immediatè vi contractus ficti, qui nullus est; tamen tenetur in conscientia ratione injuriæ alteri factæ impedire damnum, quod inde alteri oriri posset, & illatum resarcire, quia posuit ejus causam per injustam deceptionem. Imò tenetur tollere deceptionem ipsam, & verè contrahere, contractumque ut verum

implere, nam ex Justitia tenebatur verè contrahere, & sic injuriam fecit fictè contrahendo: ergo tenetur injuriam illam tollere, verè postea contrahendo; nisi tamen excusaret aliqua alia justa causa: quo casu semper damnum ex deceptione ortum resarciri debet.

Q. 2. An consensus ex errore, vel dolo datus contractum invalidat?

Not. 1. Error est iudicium falsum. Dolus malus est omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita. l. 1. ff. de dolo malo.

Not. 2. Error, vel dolus potest esse 1. Circa substantiam rei, de qua contrahitur, ut si emas vitrum pro gemma; vel circa naturam contractûs, ut si consentias in contractum quem putas esse commodationem, cum sit locatio; vel circa motivum substantiale, seu principale contractûs, ut si Titio promittas mille aureos: quia putas esse consanguineum tuum, cum non sit. 2. Circa accidens, seu qualitatem accidentalem rei, contractûs, vel motivi principalis. Porro in multis contractibus ratio personæ se habet tantum accidentaliter, ut in venditione, &c. In quibusdam verò habet rationem, vel motivi substantialis, ut in donatione, & promissione liberali; vel substantiæ obiecti, ut in matrimonio.

Not. 3. Illud censetur pertinere ad substantiam